



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. 4. An mulier, quæ transivit ad secundas nuptias, possit remanere cum  
secundo, si primus vir redux, nolit eam accipere?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

1848. Dixi: nec posse tale matrimonium separare, nimirum quoad vinculum, quia cum certum non sit, priorem virum vivere, et si mortuus sit, secundum matrimonium in re valeat, nisi confiteretur priorem virum vivere, tantum Sacramentum rescindi non debet, ut constat ex præmissis; præsertim, cum noverimus scriptum, ut ait Leo Pontifex rescribens Nicetæ, Episcopo Aquileensi, ut habetur in cit. c. Cum per bellicam, quod à DEO jungatur mulier viro, & iterum præceptum agnovimus, ut, quod DEUS junxit, homo non separet.

Ex quibus verbis Leonis satis apertè colligitur, hoc præceptum divinum non loqui tantum de matrimonio consummato, sed raro etiam, & omni matrimonio legitimo; quia loquitur de non solvendo per hominem vinculo inter eos, quos DEUS junxit, in omni autem matrimonio legitimo à DEO mulier jungitur viro, ut ait Leo cit. ergo in omni matrimonio legitimo est vinculum non solvendum per hominem; ergo non in solo matrimonio consummato.

## §. 4.

An mulier, quæ transiit ad secundas nuptias, possit remanere cum secundo, si primus vir redux, nolit eam accipere?

1849. Ante responsionem not. si mulier, etiam cum consensu Ecclesiæ, transiit ad secundas nuptias (quia credibilis erat priorem ejus virum obiisse) adhuc teneri redire ad primum, cum is rediret, ac eam expeierit, non obstante, quod cum secundo libentius maneret, & jam liberos suscepit. Constat ex cit. c. Cum per bellicam, ibi: si viri, post longam captivitatem reversi (esto eorum Uxores interim alteri nupserint) eas cupiant in suum consortium redire, restituendum est, quod fides poscit, nimirum conjugalis, mulierem vinculo justitiæ constringens ad individuam vitæ societatem cum illo, dum ambo vivunt. Idem habetur in c. Cum in captivitate. 34. q. 1. & c. Dominus. 2. b. t. ut patet ex dictis suprâ.

Ex hoc fit, respondendum negativè ad quæstionem propositam. Nam, cum in dato casu constet de vita primi ejus mariti, constat etiam de nullitate matrimonii

cum secundo, consequenter si primus vir eam recipiat, siue non, constat, secundum non esse virum suum; atq; adeo, si nihilominus ei adhereret per usum conjugalem facti, fore usum non tantum illicitum, sed etiam adulterinum; quia sic mulier constanter matrimonio legitimo scienter copularetur non suo.

Et ideo ab eo momento, quo mulieri, quæ secundas nuptias contraxit, constat, adhuc vivere priorem suum conjugem, omnis copula cum secundo illicita illi, imò adulterina est; ut patet ex priori n. & constat ex c. Dominus, ibi: illicitis, & adulterinis complexibus, quos tales compellat Pontifex, si de prioris conjugis vita constiterit, nimirum illi, quæ hujus uxor est. Si verò aliis, tenebuntur hoc ipsam canonicè denunciare, ne deinceps ut conjuges simul vivant, qui conjuges non sunt.

Dices: in c. Cum per bellicam, solum dicitur, restituendum, quod fides poscit, si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suorum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium; ergo si eas non cupiant, imò non recipiant, poterunt remanere cum secundo, cui nupserunt illis absentibus. Resp. N. conseq. Nam aliud est, quod in dato casu non sint restituendæ primo quoad cohabitationem, & thorum, si eas viri recipere nolint; aliud, quod ex hoc illis licitum fiat, manere conjugaliter cum alio non suo, stante vinculo cum primo. Illud, rectè inferitur ex dato casu; non istud. Quia per hoc, quod vir rejiciat uxorem suam legitimam, non scinditur ligamen, seu conjugale vinculum cum illo, consequenter Uxori non evadit licitum, vivere carnaliter cum alio, non suo. Et quia si dato casu cum secundo se remansuram diceret, non ut Uxorem, sed tantum ut inquiliam domus, est morale periculum incontinentiæ, præsertim, si ante carnis consuetudinem habuerunt, nec isto titulo, in domo prioris mariti solum putativi per Judicem Ecclesiasticum tolerari posset.

## §. 5.

An conjunx alterum, ex captivitate reducem, teneatur recipere?

Non est dubium, inter eos remanere conjugale vinculum; consequenter, nisi is, ad quem alter redit, habeat justam causam

M m m 3

divor.